Linné

Nobilissimo Juveni
Dno. ANT. NIC. DUCHESNE

S. pl. d.
Carol. a Linné

Accepi dulcissimas Tuas N.D. die 10 Novembris datas, in quibus me beare voluisti primo Tuæ eruditionis flore et nova Fragariæ specie. In tenera adeo ætate nullum alumnum novi qui tam longe penetravit in Floræ regna ac Tu, dum potuisti usus medicos et oeconomicos plantarum patriarum tam egregie tamque complete indigitare. Prævidet quivis quantus Tu eris in hac arte, si D.T.O. Tibi plures annumeret annos, quod animitus opto. Tibi gratulor qui poteris quotidie adsidere lateri Magni artis nostræ Principis et ex ejus ore haurire eam experientiam et doctrinam, quam nullus unquam antea potuit comparare. In Tuo libro observo tot pondera quot verba; hoc eo magis miratus, cum competat solum viris senioribus et in arte longissime provectis.

Fragaria ista tua nova mihi mirifice perplacuit; videbatur mihi e longinquo itinere etiamnum viva; non satis mirari queo quomodo hæc e Fragaria vesca sit progenita. Quotiescunque eam intuear illa mihi in memoriam revocabit Tuam in me gratiam.

Nuper edidi dissertationem de opobalsamo cujus vivum ramum misit p.m. Forskahl ex Arabia et est Amyris species; cui adjunxi novum genus Forskohleæ quæ est Chamædrifolia tomentosa maskatensis Pluk. alm. 97. t. 275. f. 6. (adeoque excludenda in Neurada). Flores hujus difficillime omnium explicantur.

Nuper etiam accepi stupendum thesaurum plantarum Amboinensium, ut et alterum e cap. b. spei. In posteriori perplacuere duo nova genera Bliti africani, calthæ palustris folio Pluk. phyt. t. 18 f. 2; et Geranii folio tenuissime dissecto, flore singulari amplissimo Breyn. prodr. 3. app. t. 21. f. 2. ut cetera taceam.

Devotissima mea reddas Summo D. Juss.
et me Tuis annumera.

dabam Upsaliæ d. 23 Decembr. 1764.